

*Gloss.* Landrecht l. 33. n. 2. ( wenn es ist kein Sache / do thudas Rechf zu / als die Erzneyn zu der Seuche / Id est nullam esse causam , cui jure occurri non possit , uti nullus sit morbus qui omnem prouersus medicinam respuat ) & Treutler. d. l. Dissentit Bachovius , quia Legum positivarum interpretatio admodum sit incerta , & ob opinionum , communium saepe communes , pelagus incertum saepe sit quae opinio magis sit usu recepta . Sed quia Leges positivae civili ratione nituntur jus naturae & gentium velut in modum exceptionis determinante , ac specialibus restringente ; hinc jus istud naturae & gentium in proposito aliquo casu tamdiu obtinebit , donec contrariu lege , quasi pacto universali populi ( nam etiam quod Princeps leges ferre possit , ex populi in eucosensu descendit ) introductum probetur . Quod si jam interpretatio incerta est , adhibendae regulae interpretandi rationis naturalis , & et si pro utraque parte aequales regulae & presumtiones militent , judicandum contra eum , qui se in Lege aliqua positiva , quam tamen introductam satis probare non potest , fundat . Ita patet omnia ex mero jure naturae & gentium in effectu semper decidi , quibus nihil incertum esse , ipse Bachovius fatebitur . Hoc igitur supposito talia decidi jure posse ruunt opiniones praecedentes omnes , quia existente primario cessat subsidiarium l. i. §. 3. de dol. mal.

## XII.

Sed distinctione rem expediemus . in CASU PERPLEXO vel est dispositio , vel concursus . DISPOSITIO PERPLEXA est , quando intelligi potest , quis actor , quis reus ; & questio est utrum actori jus competat , isq ; ( vel ii , si plures actores sunt ) fundat se in aliquo perplexo actu , qui actus , quia voluntarius est , & disponit aliquid circa rem disponentis vocatur a me dispositio : igitur hoc casu ab uno tantum latere , actoris nempe , seu potius allegantis ( nam & reus in exceptione perplexa se fun-